

Enrico VI

L 40

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Enrico VI

L 40

1195-10

In nomine Sancte et Individue Trinitatis. Henricus sextus divina favente clementia Romanorum imperator et semper augustus.

Cum ecclesias Dei et loca Deo mancipata virosque religiosos in nostra protectione et defensione manutenemus eisque ipsorum iura et traditiones et donations antiquas imperiali auctoritate confirmamus ad presentis vite cursum felicem et ad eterne vite retributionem id nobis profuturum non dubitamus. Itaque notum fieri volumus universis imperii nostris fidelibus tam futuris quam presentibus quod nos considerantes religionem virorum venerabilium de Cava Deo ibidem famulantium ob spem divine remunerationis omnia bona et possessiones et omnes res mobiles prenominato monasterio de Cava pertinentes prefato monasterio imperiali auctoritate perpetuo corroboramus et confirmamus omnia ea scilicet que predictum monasterium a temporibus regis Roggerii et regis Willielmi primi et Willielmi secundi usque ad tempora nostra tenuisse dinoscitur. Hoc santientes et precepto imperiali firmantes ut omnia privilegia sepe memorato monasterio a predictis predecessoribus nostris divis regibus tradita sive ab aliis quibuslibet concessa firmitudinem et robur habeant perpetuo valituros. Et ut nullus fidelium nostrorum ipsum monasterium et loca sibi pertinentia audeat aliquibus vexationibus seu exactionibus quolibet modo de cetero perturbare, statuimus etiam et presentis privilegi pagina districte precipimus ut nulla (omnino persona) alta vel humilis ecclesiastica vel secularis (contra?) hanc nostre confrimationis...alem paginam venire vel eam ausu temerario presumat violare. Quod qui facere attentaverit

nostre magestatis iram et indignationem et eterni iudicis ultionem se non dubitet incursum et pena centum libras auri se sciat persoluturum, mediam partem camere nostre, reliquam partem iniuriam passis.

Huius rei testes sunt Henricus Wormatus episcopus, Gualterius Troianus episcopus, Lodovocus dux Bavvarie, Philippu frater domini imperatoris, Lodovovicus comes de Vvirtembe, Difridus comes de Morle, Barquardus comes de Veringen, Robbertus de Durne, Hartmannus de Butigen, Henricus de Kilendin et alii...plures. # Signum domini Henrici sexti Romanorum imperatoris invictissimi. Acta sunt hec anno Domini MCXCV, indictione XIII regnante domino Henrico sexto Romanorum imperatore gloriosissimo, anno regni eius XXIII, imperii vero IIII. Data Salerni per manus Aliberti imperialis aule protonotario, VIII Kalendas octobris.